

M  
M


123




F

Auf

SS





10.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

HUMANÆ CO-  
GNITIONIS INI-  
TIIS

Q V A M

DEO AVSPICE

PRÆSIDE

ANDREA FRÖLINGIO

OPT. ART. ET PHILOS. MAG. LOGI-  
CES PROFESSORE P. ORDI-  
NARIO

*Præceptore ac Fautore suo singulari cultu  
devenerando*

*Publicæ disquisitioni subjiciet*

FRIDERICUS HENRICUS PETRI  
BRUNSVICENSIS

Auth. & Resp.

IN VLEO MAJORI

*Ad d. III. April.*



HELMESTADII,  
TYPIS JACOBI MULLERI.  
ANNO MDCLXXVII.

ADMODUM REVERENDO, AMPLISSIMO  
SACRORUM SACRILEGII

IN  
SACRILEGII

IN  
SACRILEGII

IN  
SACRILEGII

IN  
SACRILEGII





## D. O. M. A.

### I.



Vandoquidem omnis cognitio per ratiocinationem comparata ex principiis quibusdam ante notis oritur, quorum aliqua summa & prima esse oportet, ut absurdus in infinitum progressus evitetur, qua ratione illa nobis innotescant, non immeritò queri solet & debet. Cumque id ipsum maxime apertum certumque esse conveniret, jam diu tamen super eo diversæ virorum doctorum sententiæ fuerunt & controversiæ à quibusdam non sine acerbitate animorum agitata. Quas lites componere etsi meum non sit, utpote in primis Philosophiæ stadiis adhuc versantis, haud tamen, spero, vitio mihi vertetur, quod, cum in specimen studiorum meorum Philosophicorum atque exercitii Academici ergo disputationem aliquam conscribere, & commilitonibus meis examinandam proponere constituissem, ipsam illam materiam selegerim & pro ingenii modulo tractandam susceperim.

### II.

Ut autem rem ipsam statim aggrediar, primo omnium sciendum est, de propositâ quæstione duas inprimis celebres & ob Autores suos, nec non rationes, qui-

A 2

bus

bus utraque fulcitur, disquisitione dignas esse sententias. Licet enim forte adhuc sint plures, quod tamen vel jam diu exoleverunt, vel nullâ probabili ratione nituntur, adduci non merentur. Illarum autem altera hæc est, quâ statuitur, animis hominum primitus à DEO insitas esse notiones, quibus omnium artium principia contineantur. Et habet hæc sententia Patronos nec paucos nec indoctos, cum Theologos tum Philosophos, quorum nomina hic apponere nihil attinet.

### III.

Altera sententia est eorum, qui statuunt, nullam nobis neque habitualement neque actualem notitiam nasci, adeoque non ante ullam adesse, quam convenienti via & modo acquiratur. Hanc amplexus est summus Philosophus Aristoteles, & idoneis argumentis confirmavit. Neque à Magistri placitis recesserunt hæc quidem parte sectatores ejus, cum veteres tum recentiores, viri ingenio & doctrinâ præstantissimi. Et quoniam ipsa illa sententia vero videtur magis consentanea, placet nunc eam thesibus quibusdam comprehensam disputationis Academicæ loco proponere & more consueto defendendam suscipere.

### IV

Ut autem, quantum fieri potest, obscuritas & ambiguitas evitetur, distincte rem proponemus per conclusiones, quarum prima hæc esto: *Notitia rerum, (sive pro actu sive pro habitu sumantur) qua à natiuitate nobis insint, nulla dantur.* Pro hac conclusione probandâ primum argumentum desumimus à modo cognitionis nostræ, de quo experientia testatur, quod intellectio nostra in hac vitâ, dum corpori anima unita est, à sensibus dependeat, atque inde prima initia sumat.

Ob.



Observavit hoc atque adeo monere non neglexit Aristoteles, cuius verba ex lib. 3. de anim. cap. 8. text. 39 ita habent: *Quoniam nulla res est, praeter magnitudines, ut videtur, sensibiles separata, in ipsis formis sensibilibus intelligibilia sunt, & quae in abstractione dicuntur, & quaecunque sensibilibus habitus & passiones sunt.* Et ob hoc qui non sentit aliquid, nihil utique addiscet nec intelliget. Indicat idem illud vulgatum pronunciatum: *Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Quod licet fortassis in Aristotele, ceu nonnulli putant, aperte non reperiatur, pronam tamen consequentiam ex nonnullis eius dictis colligi potest, estque adeo exploratae veritatis semper habitum in scholis Philosophorum, ut de eadem dubitare nefas esse videatur. Quapropter ipse Scaliger, utut alias notitiis innatis favere deprehendatur, hoc dictum in dubium vocare non est ausus. Ita enim Exercitatione cccvii. sect. 5. pag. 927. & 928, inquit: *Rationalis igitur anima, quia sua intellectio- nis primordia consecuta est à sensibus, qualia illis offerentur &c.* V.

Nunc igitur tale argumentum struere nobis licebit: *Si nihil eorum, quae cognoscuntur, est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, Vel, Si omne primordium intellectio- nis & cognitionis nostrae est à sensibus, sequitur nullam notitiam nobis esse innatam. Sed prius est verum. E. & posteri- us.* Majoris consequentia inde confirmatur, quoniam notitiam innatam, etiam ex sententia eorum, qui illas propugnant, ita debent esse comparatae, ut ante sensuum cognitionem insint. Quod si igitur verum est, omnem cognitionem intellectualem in nobis produci ad antecedentem quandam cognitionem sensitivam, sequitur utique, nullam esse, quam absque antecedente sensuum



cognitione adesse aliquis affirmaverit. Minorem veram esse jam quidem præsupposuimus, verum cum circa eam multa dubia moveri possint & soleant, eorum potissima adferenda & solvenda sunt, quo veritas illius amplius confirmetur atque illustretur.

#### VI.

Primo igitur difficultatem habet, quod certum est, & in confesso positum, posse à nobis acquiri aliquam de DEO & aliis substantiis immaterialibus cognitionem, quæ tamen nullo sensu percipi possunt. Deinde etiam universalia intellectu comprehenduntur, quorum cognitio itidem sensibus derogatur. Porro & alia multa cogitatione complecti possumus, quæ, cum nec sint, nec fuerint, nec unquam sint futura, nullo etiam sensu usurpari possunt: cujusmodi sunt Chimææ, Centauri, asini volantes, montes aurei, & id genus alia plura. Per hæc universalitas nostri pronunciati infringi & omnino statuendum esse videtur, non omnia quæ intellectu cognoscendo complectimur, in sensu prius fuisse.

#### VII

Quo autem rectius dubiis illis possit satisfieri, sciendum est, omnia, quæ suo & convenienti modo sunt in intellectu, esse etiam aliquo modo in sensu, non tamen eo, quo intelliguntur, neque etiam illo ipso omnia ac singula eodem. Alia enim per ipsammet essentiam suam, alia vero per species, ac porro vel per effectus, vel per inferiora sua, vel per partes, aut alio simili modo percipiuntur, & sensus aliquam præviam cognitionem habent. Quod igitur primo attinet DEI aliarumque substantiarum immaterialium cognitionem, observandum, eam comparari posse, vel per doctrinam, vel per propriam meditationem & inventionem. Cognitio-  
nem

nem per doctrinam sine controversiâ quilibet intelligit fieri per sensuum cognitionem. Posito enim hominem non habere auditum, quomodo præceptoris sive docentis verba percipere potest, adeoque per speciem illam audibilem ( ut ita loquar ) intellectui imprimere speciem intelligibilem istis verbis denotatam? Huc nimirum in primis spectant verba Philosophi cit. loc. *Qui non sentit, nihil utique addiscent nec intelliget.* Cognitionis autem per propriam meditationem & inventionem fit mediantibus effectibus. Effectus enim testantur de suâ causâ. Jam vero effectus DEI, qui de ipso testari possunt, in sensus cadere debere, nemo est qui dubitet.

#### VIII.

Hæc enim via, hæc ratio est, per quam naturaliter in cognitionem DEI Opt. Max. pervenire licet, cuius etiam Apostolus Paulus Rom. 1, 20 mentionem facit inquit: *Siquidem quæ sunt invisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsaque ejus æterna potentia ac divinitas, in hoc ut sint inexcusabiles.* Cumque adeo Ethnici, quamvis specialis revelationis gratiâ carentes, DEUM cognoscere potuerint, nec tamen debito modo coluerint, sed in brutorum formam mutaverint, id pro DEO colentes, quod vel sensus argueret DEUM non esse, eos etiam ἀναπολογητός esse pronunciat idem divinus scriptor. Elegantia quoque & huic rei valde accommodata sunt verba Minutii Felicis in Octavio, unde jam tum ab aliis transcripta & laudata nos etiam hic apponemus: *Ex hoc, inquit ille, DEUM credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus, & in mundi omnibus motibus virtutem eius semper præsentem adspicimus: cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat.* Hinc igitur patet, Dei  
cogni-

cognitionem non obstare quo minus verum maneat, omnis nostræ cognitionis initia in sensu referenda esse. Neque obscurum est ex hoc ipso, quomodo res cum reliquarum substantiarum immaterialium cognitione sit comparata.

IX.

Quod deinde movebatur de universalium intellectuali comprehensione, ei sic occurrimus: licet universalia sub formali suâ ratione in sensu prius non fuerint quam ab intellectu comprehendantur, sunt tamen in singularibus & per singularia sua: in quibus scilicet sunt & subsistunt. Illa denique quæ neque in universali neque in singulari reverâ unquam exstiterunt, nec forte post futura sunt, v. g. aurei montes, volantes boves & alia id genus, per partes sub sensitivam cognitionem cadunt. Quamvis enim bovem volantem nunquam viderim, tamen & bovem vidi & volatum: & licet nunquam aureum montem conspexerim, aurum tamen & montem conspexi, quæ postea mentis operatione conjunguntur, & tanquam unum quid concipiuntur.

X.

Secundum pro conclusione nostrâ probandâ argumentum desumimus à similitudine atque analogiâ, quæ inter sensum & intellectum ratione cognitionis intercedit. Ipsum argumētum, quemadmodum id jam tū proposuit Jacobus Martini Partit. Metaph. lib. 1. sect. 7. quæst. 4. hoc est. Ut se habet sensus ad sentiendam, ita se habet intellectus ad intelligendum. Atqui sensus non propterea sentit, & sensus communis non propterea inter species sensibiles oblatas scit distinguere, quia species à nativitate suâ sibi impressas habent & congenitas; sed quia in illis nulla omnino inest species, atque propterea  
ab

ab omnibus informari possunt, simulque in sensu com-  
muni inest δύναμις κριτική: E. etiam cum intellectu eo-  
dem modo res erit comparata. Idem brevius sic pro-  
tulit Cl. Zeifoldus: Sicut se habet sensus ad sensibilia,  
ita se habet intellectus ad intelligibilia. Sed sensus ea,  
quæ sentit, non habet in se actu, ut visus ex.gr. non ha-  
bet in se colorem. E. nec intellectus habet ea actu, quæ  
intelligenda sibi, vel non habet ex se actu aliquid intel-  
ligendorum. Reperitur etiam hujus argumenti fun-  
damentum apud Aristotelem, cujus hæc sunt verba lib.  
3. de Anim. cap. 4. tex. 2 & seqq. *Si igitur est ipsum intel-  
ligere sicut sentire, aut pati aliquid, utique erit ab ipso in-  
telligibili, aut aliquid aliud tale. Impasibilem ergo oportet  
esse, susceptivam autem formæ, & potentia hujusmodi,  
sed non hoc: & similiter se habere, sicut sensitivum ad sensi-  
bilia, sic intellectum ad intelligibilia. Necesse est itaque  
quoniam omnia intelligit, immistum esse, sicut dicit Ana-  
xagoras, ut dominetur. Hoc autem est ut cognoscat, nam  
alienum juxta apparens prohibet & obstruit. Quare neque  
ipsius ulla est natura nisi hæc, quod possibilis est. Qui igitur  
vocatur animæ intellectus: dico autem intelle-  
ctum, quo intelligit & existimat anima: nihil est a-  
ctu eorum, quæ sunt, antequam intelligat. Et paulo infe-  
rius tex. 14. Quoniam potentia quodammodo est intelli-  
gibilia intellectus, sed actu nullum antequam intelligat. O-  
portet autem sicut in tabulâ, in quâ nihil est scriptum actu,  
quod quidem accidit in ipso intellectu.*

XI.

Cæterum in ipsis illis Philosophi verbis novorum  
argumentorum fundamenta nobis suppeditantur; quæ  
itidem in usum nostrum convertemus. Quod tamen  
non eo facturi sumus animo, ac si propterea vera esse  
censeamus, quia sunt ab Aristotele prolata, sed quia cum

B

re



re ipsa consentire videntur. Quamquam in re difficili & abstrusâ summi Viri autoritas sperni non debeat. Quando itaque dicitur: *Necessum est (intellectum) quoniam omnia intelligit immistum esse, sicut dicit Anaxagoras, ut dominetur.* Hoc autem est, ut cognoscat: Nam alienum iuxta apparens prohibet & obstruit: Nos quidem inde ita argumentamur: Si intellectus in se haberet actu aliquid (aliquam speciem) non posset illud in se recipere: Vel, ut Aristotelis retineamus verba: Si intellectus alicui intelligibilium mistus esset, non omnia intelligeret, quia intus existens prohibet alienum. Sicut enim, verba sunt Cl. Zeisoldi, *contingit in sensibus, quod si oculus suffusus fuerit colore flavo, color ille impedimento esset, quo minus alios colores percipere posset, quinimò, quæcunque videret, flava apparerent; Ita si intellectus cum aliquâ formâ intelligibili mistus esset, omnia recipere minime posset, quia forma illa existens prohiberet, ne aliam reciperet.* Ut igitur omnia recipere & intelligere queat, purum, simplicem, ab omnique intelligibili formâ liberum ipsam esse oportet.

## XII

Ex dictis haud obscure patet, intellectum nostrum, quoniam est potentia omnium specierum receptiva, non habere actu notitias quasdam innatas. Eo enim ipso quo natura aliquam in se habet sive continet actu, non est aut dici potest omnium receptiva. Quapropter Philosophus tex. 14. cit. loc illum comparat cum nudâ tabula, in quâ nihil actu inscriptum, inscribi tamen omnia possint. Quemadmodum autem tabula ante inscriptionem aut picturam nihil actu continet eorum, quæ in ipsâ exarari pingive possunt, sed solam potentiam & aptitudinem habet ad excipiendum, quicquid in ea, vel scriben-

scribentis vel pingentis manus expresserit; ita in Intellectu nulla noëmata ante intellectionem ei inscripta vel impressa invenientur, aptus tamen erit recipere eadem, iisdemque imbui & perfici.

XIII.

Sed hic obstare videtur, quod intellectus Adami plenus fuerit sapientiâ, etiam sine speciebus acquisitâ, jam vero imago illa DEI altioribus nitebatur radicibus, quam ut penitus extirpari potuerit. Mansere itaque femina quædam, principia scilicet, quæ nunc dicimus nobiscum nata. Sed R. (1) ab intellectu Adamitico nequaquam nos posse argumentari ad intellectum in se & suâ naturâ consideratum. Nulla enim est consequentia: Intellectus Adami fuit plenus sapientia, E. intellectus humanus in se & suâ naturâ consideratus postulat, ut sit plenus sapientiâ. Neque enim illa sapientia fluxit ex natura Adami; sed ex gratiâ Conditoris ei collata fuit, & post lapsum iterum ablata. (2) R. Concedendo aliqua semina mansisse intellectui, illa autem semina ipsa principia esse negatur. Semina enim hæc non sunt ipsæ notitiæ, aut ipsa principia actu sed potentiâ, sicut semina rerum non statim sunt ipsæ res, sed hæc ex illis per generationem existunt. Et hoc modo Philosophus lib. 6. Eth. Nicom. cap. 13. docet: *Virtutes in omnibus hominibus videntur (πῶς) quodammodo esse à naturâ, cum tamen multis in locis nullum virtutis habitum à naturâ esse dicat & rationibus confirmet.* Quis itaque non agnoscit discrimen inter semina notitiarum, & notitias ipsas? Quis semina virtutum ipsas virtutes dixerit? Itaque non obstat allata objectio, quo minus dicere liceat, intellectum in se & suâ naturâ consideratum, atque uti nunc sese habet, esse *tabulam nudam, cui nihil est in-*



*scriptum à nativitate, sed omnia inscribi possunt, ut loquitur Scharffius in P. R. part. spec. lib. 8. c. 2. ax. 1.*

XIV.

Porro considerari merentur illa Philosophi verba, quibus dicitur, *intellectus non esse ullam aliam naturam, quam hanc quod possibilis est*, comparatione videlicet ac respectu eorum quæ intelligenda sunt; quatenus eorum nihil actu habet, antequam intelligat, sed tantum potestate, ut in infante recens nato. Non debet autem hoc ita accipi quasi intellectus sit mera suscipiendi potestas, & non etiam aliquid actu. Utique enim est facultas animæ & intellectiois principium & causa. *Ne intelligas*, inquit Julius Pacius Comment. in h. l. *infantem carere intellectu: Nam habet intellectum qui vocatur intellectus potestate, id est, qui est facultas animæ: & illum intellectum potestate acceptum infans habet actu, sed non habet intellectum actu.* Verum lubet inde hujusmodi argumentum pro nostra conclusione formare. Cujuscunq; natura nulla est alia quam posse intelligere, quod fit recipiendo species oblatas, ea nullam in se continet speciem actu, priusquam actu intelligat & aliquam speciem recipiat. Si enim aliquam speciem ante haberet, quam eam reciperet, non esset ejus natura posse tantum recipere. Atqui intellectus natura nulla est alia, quam posse intelligere sive recipere species sibi oblatas. E. intellectus nullam quoque speciem, adeoque nec notitiam ullam in se ante continet, quam aliquam recipiat & acquirat.

XV.

Denique text. 14. cit. loc. inquit Aristoteles: *Intellectus quodammodo est intelligibilia ipsa, actu vero nihil eorum, antequam intelligat ipsa.* Ut hæc verba rectius intelligi-



telligantur, Not. 1. Intellectum se habere aliter ante,  
aliter post intellectionem: ante intellectionem nihil est  
actu eorum, quæ intelligit, vel intellecturus est, sed po-  
tentiâ: intelligendo autem fit id, quod intelligit, ut  
exinde quodammodo vocari possit intelligibilia ipsa. 2.  
Quod dicitur, intellectum fieri id, quod intelligit, non  
ita accipiendum est, ac si præcise illius naturam, quod  
cognoscit, induat, & penitus mutetur, verbi gratia quan-  
do equum intelligit, ut realiter fiat equus sed spirituali-  
ter, ut Magitus in Physica suâ exponit lib. 6 cap. 19. §. 59.  
Præcipue vero Scaliger locum hunc illustrat Exercit.  
cccvii. sect. 6. his verbis: *Principio nego tibi illud à Philo-  
sopho dictum: Intellectum nostrum esse omnia essentialiter  
aut formaliter, ut loquuntur. Sed est omnia subjective, si-  
cut materia prima, quæ non fit equi essentia sub formâ equi,  
sed remanet id, quod erat, substantia quadam, ex quâ &  
forma fit hoc aliquid. Alia tamen ratio in intellectu in-  
formatione. Ipse enim non est potentia pura, ut materia  
prima quæ reducatur ad hoc ut actu sit hoc aliquid per for-  
mam. Sed ipse forma nostra est substantialis, separabilis,  
incorruptibilis, æternus: Ex quo tanquam ex subjecto es-  
sentialiter perfecto & specie quam recipit, fit intellectus  
informatus: non alius à se ipso, propter receptas species acci-  
dentales. Non igitur fit intellectus simpliciter. Si e-  
nim intellectus est (est, vero) forma hominis: & per in-  
tellectionem equi fieret (ut tu perverse ais) equus,  
homo fieret equus. At non fit intellectus ipsa species,  
sed sub specie. Hæc Scaliger. Ex istis ita explicatis ulte-  
rius argumentamur. Quicquid scibilia omnia fieri po-  
test, necesse est ut ab omni scibili sit denudatum. Atqui  
intellectus ita se habet, ut ex verbis jamjam allegatis pa-  
tet. E. necesse est intellectum ab omni scibili esse denu-  
datum. Jam porro: Quicquid ab omni scibili denu-*  
B 3 datum

datum id nullas in se continet notitias congenitas. Intellectus ab omni scibili est denudatus, ut habet conclusio antecedentis syllogismi. E. intellectus nullas habet notitias sibi congenitas.]

XVI.

Quoniam autem intellectus natura ita se habet, ut omnes species in se recipere possit, ideoque philosophus comparat eum cum materia prima, certam tamen quandam analogiam. Quod enim materia prima prestat generationi, recipiendo in se omnes formas, quibus ante generationem, imo de se ex propria substantia caret, id intellectus prestat intellecti, quae est quasi generatio quaedam; recipit enim in se species, quibus de se & sua natura caret, ut fiat intellectio. Iterum hinc nascitur argumentum causae nostrae inserviens, quod sic habet: Quaecunque potentia cognoscitiva materiae indolem sequitur, omniumque rerum species recipere apta nata est, ea de se speciebus caret, & nihil actu continet eorum, quae ipsi intelligenda vel cognoscenda sunt. Sed intellectus est ejusmodi potentia. E. Ratio Majoris est, quoniam si potentia universaliter fuerit receptiva omnium formarum, omnibus formis carere debet. Si enim aliquas formas haberet, omnium receptiva dici non posset. Quapropter uti materia in se & sua natura considerata est ἀμορφος i. e. informis; ita quoque intellectus non habet aliquam speciem, sed aptitudinem ad omnes recipiendas.

XVII.

Et verò quid opus est multis argumentis id confirmatum ire, de quo experientia ipsa luculenter testari videtur? Quod si enim notitiae nobis connascerentur, omnes eatenus aequae doctos, omnes aequae sagaces esse necessarium

cessum' esset: Cujus tamen contrarium experimur. Dan-  
tur quippe homines, qui obvia & facilia cognitu, ac for-  
tassis etiam talia, quorum notitiam nobis connasci ex-  
istimant adversæ sententiæ Patroni, non ignorant tan-  
tum, sed & ab aliis proposita & operose inculcata vix  
tandem capiunt & intelligunt. Labet apponere histo-  
riam, quam Jacobus Martini propriâ experientia edo-  
ctus in Part. Metaph. lib. 2. Sect. 2. quæst. 3. pag. 666. & 667.  
narravit: *Probavimus, inquit, supra sect. 7. q. 4. nullas no-  
ticias nobis innatas esse. Imò tantum abest, ut homo infans,  
sive in utero materno adhuc inclusus, seu in lucem editus,  
statim actu DEUM esse cognoscat, ut neque tum, quando  
progressu ætatis aliquo usus rationis per naturam ipsi conce-  
ditur, vocabulum ipsum, quo DEUS in suâ linguâ maternâ  
nominatur, ob rationis adhuc & memoriæ infirmitatem in-  
telligat. Dicam, quid ipsemet expertus sim in medio quasi  
ecclesiæ sinu. Aliquando in alicujus oppidi, non procul à mea  
patria siti, templo pro more præcipua doctrina Christiana  
capita à Ministro ecclesiæ publice examinabantur: Acci-  
dit, ut inter alios adstantes plebeios ordo respondendi tan-  
geret ancillam quandam minorem, infantem ulnis gestan-  
tem, annos fere quatuordecim natam: Quæ interrogata,  
quot sint Dii, respondet linguâ vernaculâ: Drey / Drey  
Gott / Daniel Gott / Hans Gott / h. e. tres, Vitus, Daniel,  
Johannes, intelligens tres fratres eius oppidi cives, quibus  
nomen familiæ Gott erat: Et quidem ita respondet non ma-  
litiâ quâdam impulsâ, sed ex iudicii imbecillitate, quod rem  
aliter vel nesciebat, vel intelligebat. En summam iudicii  
cæcitatem, etiam in ijs, qui in ipso ecclesiæ gremio nati sunt  
& educati! Quid ergo de aliis dicendum, vel sentiendum  
putes, qui ecclesiæ Christiana institutione ac informatione  
plane destituuntur. Hæc ille. Atque huc etiam pro-  
cul*

cul dubio respexit Gentium Doctor quando Eph. 4. v. 17. & 18. scribit, *Gentes ambulare in vanitate mentis suae, dum mentem habent obtenebratam, ab alienati à vitâ DEI, propter ignorantiam, quæ est in illis, & excacationem cordis eorum.* Et Philosophus noster qui lib. 2. Met. c. 1. text. 1. inquit: *Cum vero difficultas duobus sit modis, fortassis causa eius non rebus, sed nobis ipsis inest.* Quemadmodum enim vesperilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus anima nostra, ad ea quæ manifestissima omnium sunt. Quibus subscripsit Petrus Hurtadus de Mendoza disp. Met. 1. sect. 9. num. 89. inquit: *De obiecto Metaphysica, maxime de DEO, (qui & rerum omnium universalissima causa) verum est dicere, illud esse naturâ suâ notius, nobis autem non ita; quia difficultas cognoscendi DEUM, non oritur ex ipso DEO, qui est summe cognoscibilis, sed oritur ex defectu nostri intellectus, qui præ imbecillitate, illius lumine perfusus, cacutit, sicut oculi noctua clarissimo Solis splendore.*

## XVII.

Postquam conclusionem nostram argumentis confirmavimus, consequens est, ut præcipuas, quæ contra adduci possunt ac solent, objectiones videamus & consideremus. Primo igitur sic objicitur: Si animalia bruta fugiunt id, quod sibi est noxium, & prosequuntur quod est bonum & salutare, utriusque habebunt notitiam, eamque à naturâ insitam & congenitam. Sed verum esse prius, experientia docet. E. etiam verum erit posterius. Quod si hoc, multo magis homini inerit aliqua notitia connaturalis. Hæc obiectio ut rectius solvi possit, nonnulla sunt prænotanda. Et primo quidem sciendum, fugere malum, & prosequi bonum, esse operationes appetitus. Jam vero appetitus non uno modo se

se habet. Interdum sumitur proprie, vel pro facultate animæ in iis quæ vivunt & cognoscendi vi pollent, quæ per actus secundos, quales sunt actus amoris, odii &c: fertur in bonum & malum, vel etiam pro actu secundo hujusmodi facultatis. Estque duplex pro diversitate potentiæ cognoscentis quam præsupponit, Sensitivus qui elicitur ad præcedentem sensitivam cognitionem, & Rationalis, qui cognitionem intellectus consequitur, atque alias voluntas appellatur. Vid. Aristoteles 2. de anim. cap. 3. tex 27. & 1 M. M. c. 12. Sensitivus appetitus iterum duplex est: Concupiscibilis & irascibilis. Concupiscibilis secundum quem animal Inclinat ad prosequenda ea, quæ secundum sensum conveniunt bona, & vitanda ea, quæ secundum sensum noxia apparent. Irascibilis, secundum quem animal adversa propellit, & illis, quæ salutaria remonent, obluatur. 2. Sumitur appetitus pro inclinatione naturali, ubi non dantur distincti actus, primus & secundus, sive potentia & actus secundus appetendi scilicet, sed nihil aliud esse videtur quam ipsa potentia, ut refertur ad perfectionem, quâ caret. Ad hunc appetitum non requiritur aliqua cognitio, competit enim illis rebus quæ omni cognoscendi facultate carent. Vid. B. Stalius Reg. Philos. part. 1. Disp. 10. Reg. 2. Nunc quando bruta malum & noxium fugiunt atque averfantur, bonum vero & salutare appetunt ac prosequuntur, fit id per eum appetitum, qui proprie dictus & sensitivus vocatur: quique ad suas operationes cognitionem sensuum prærequirit: quos scilicet natura illo fine animantibus concessit. Quo pertinent verba Philosophi quæ lib. 2. Post. Anal. cap. ult. leguntur, & ita habent: *Omnibus animalibus natura tribuit aliquam ad discernendas & dijudicandas res facultatem, quam sensum*

C

*sum appellant.* His jam prænotatis non difficile est ostendere, quâ parte argumentum propositum laboret. Est nimirum consequentia majoris nimis infirma. Etsi enim verum sit, ad prosecutionem bonorum & fugam malorum cognitionem utrorumque prærequiri: necessum tamen non est, eam cognitionem brutis illis animalibus esse insitam & congenitam, sed omnino referri oportet in potentiam sensitivam, à quâ oritur & elicitor. Quod si igitur inde non sequitur, brutis aliquam notitiam esse innatam, sponte cadit, quod ulterius de notitiis hominî à natura congenitis ex eo inferebatur.

XIX.

Porro sententiæ nostræ opponi solet argumentum ab actibus quibusdam petitum, quos infantes primum in lucem editi exercent, quando adhuc nullam notitiam sibi acquirere potuisse videntur. Ulus eo est illustris Scaliger, cujus proinde verba adscribemus, quæ Excercit. cccvii. sect. 18. ita habent: *Sunt cum animâ nostrâ quedam connata notitiæ, quæ idcirco vrs dicuntur à Philosopho. Nemo enim tam infans est, quem cognitio lateat pluris & paucioris. Infanti duo poma apponito: uno recepto, alterum iterum poscet. Atque alibi in hunc modum: Infantulus vix dum editus, vult lac sugere & labra tunc movet, & quidem apte, non pedes.* Verum cum his jam dudum responsum sit à Philosopho non minus insigni Jacobo Martini, ejus quoque verba subjungemus, ut eâ ratione simul autoritati autoritatem opponamus. Is autem Tract. ante laudato Part. Metaph. lib. 1. sect. 7. quæst. 4. ita scribit: *In primo fallacia causa committitur. Non enim propterea infans appetit duo poma, quia actu sciatur, antequam illa offerantur, Totum esse majus qualibet suâ parte: Sed quia duo objecta magis perficiunt facultatem co-*  
gno-

gnoscentem, & ideo appetitum magis excitant. Duo enim  
objecta ejusdem quantitatis & bonitatis majorem habent  
actum quam unum: ergo cognitionis vim magis perficiunt.  
Quo autem quid representatur ut magis bonum, eo etiam  
in appetitu suo gignit majus desiderium. Nam omne bo-  
num ex sua natura est appetibile. E. maius bonum (sive re-  
vera tale, sive saltem ita appareat) magis quoque appetibile.  
In secundo iterum fallacia causa committitur. Illius enim  
effecti causa non sunt notitia ista, sed appetitus naturalis,  
qui excitatus a fame. Quando enim nutrimentum absump-  
tum est, venae mulgentur a vicinis partibus, quae exhaustae  
trahunt e par, e par a venis mesaraicis postulat alimenti ma-  
teriam, venae mesaraicae sugunt intestina & ventriculum  
proxime afficiunt, qui corrugatus in superiore superficie  
pulsat venas & nervos, qui ad cerebrum tendunt, atque i-  
ta dolor efficitur, quo dolore tandem imaginatio excitatur,  
quae excitata iterum iudicii causa existit de cibis quaren-  
dis. Quia autem infans loco motivam adhuc imperfecte ha-  
bet, quoad actum secundum, & ideo magis vitam plantae  
vivit quam animalis, non pedibus, vel manibus, & ita me-  
diante perfecta locomotiva cibum quarit, & appetitus si-  
gna exhibet, sed tantum ore, tanquam membro immediato,  
quo foris alimentum accipitur. Non aliter atque planta,  
ramis vel similibus partibus quarit vel attrahit, sed radice  
a solo haurit nutrimentum. Quod enim radix in arbore  
est, idos in animali existit.

XX.

Tandem & tertio nobis obstaculo esse videtur, quod  
principia prima tam theoretica quam practica tantum  
non ab omnibus dicuntur naturalia & naturaliter nota;  
Unde sequi videtur, ab iisdem notitias quoque conge-  
nitas statui & admitti. Sed & i. Si eo sensu nonnulli i-



stis aut similibus loquendi formulis utantur, eorum au-  
toritas nos stringere non potest. Nam 2. alii, & forte  
plures, existimant principiis illis primis non propterea  
dicta attributa addi, quod eorum notitia sine prævia sen-  
suum cognitione à naturâ sine ulla aliquâ acquisitione  
insit, sed quod statim, quando ipsorum terminos habe-  
mus cognitos, veritas eorum appareat & intelligatur.  
In quam rem licet plura testimonia produci possent, u-  
no tamen atque altero nunc erimus contenti. Sic ita-  
que scribit Jacobus Martini Part. Metaph. sect. 7. q. 4. pag.  
324. *Non negamus axiomata illa communia, ut sunt:  
Quodlibet est aut non est, Totum est maius quolibet suâ par-  
te, in ipso quoque Peripato naturalia dici, nimirum in col-  
latione ad specialia, quorum difficilior est abstractio & com-  
positio: non igitur quod nobis sint connata, sed quia primâ  
atate, per inductionem particularem sunt apprehensa, vel  
minime nobis cogitantibus. Quo fit, ut adulti non possimus  
referre, quando & quomodo nobis illa notitia irrepserit.  
Quocirca quoniam principia illa Preceptoris singulari mo-  
nitu non addiscuntur; sed discipulo innotescunt, antequam  
à Preceptore eruditur, adeoq; proxime ad ea, quæ naturalia  
proprie dicuntur, accedunt, naturalia vulgo appellantur,  
termino isto in latâ significatione sumpto.*

## XXI.

Eandem fuisse mentem B. Horneij, intelligere da-  
tur ex eiusdem Instit. Log. lib. 5. quæst. 9. num. 5. 6. 7. Vbi,  
postquam dixisset, quæri, *an cognitio propositionum per  
se notarum, sive principiorum, homini innascatur: an ab eo  
acquiratur?* atque etiam pro affirmante quæstionis par-  
te probationis loco inter alia hoc adferri: *quod princi-  
pia naturaliter nota ab omnibus cum Averr. 2. Met. t. 1. ap-  
pellentur*, paucis interjectis ista subjungit: *Sed re-  
spon-*



*Spondendum est: Propositiones per se notas non sic dici ideo, quod cognitio earum non acquiratur: Nam cum nec termini illarum apprehendantur statim cum nascimur, multo minus ipse tota propositiones cum actu nobis nota sunt. Terminos autem simplices earum non statim à principio percipi experientia testatur: Propositiones enim per se nota sunt: Bis duo sunt quatuor, Bonum est appetendum, nec tamen infans recens natus novit quid bis, quid duo, quid quatuor, aut quid sit bonum, quid appetere. Et sic eadem ratio de ceteris. Quare sicut terminos propositionum talium progressu temporis primum apprehendimus, ita etiam propositionum ipsarum veritas paulatim cognoscitur, adeoque non innascitur. Ut autem intelligatur, pergit Idem, cur & quomodo naturaliter nota dicantur, observandum hic ex Paulo Soncinate 4. Met. q. 33. & Javello 2. Met. q. 1. dupliciter aliquid naturale dici; uno quidem modo, quod natura ab initio actu inest, sicut naturale homini est videre, intellectum & voluntatem habere, altero vero, quod, quamvis actu ab initio rei non inest, secundum proximam tamen potentiam inest, & tale est, ut natura absq. externa ope id producere possit, sicut naturale lapidi est ut descendat: et si enim motus ille non statim ei inest cum producitur, sicut gravitas causa illius motus, potentiam tamen lapis habet, ut citra ullum aliud adminiculum ita moveatur. Cum ergo propositiones per se nota dicuntur naturaliter nota esse, non priori, sed posteriori sensu vocabulum naturale usurpatur. Sed nunc tandem à primâ conclusione abire & pedem proferre nobis licebit. Tantum adhuc addimus quædam Aristotelis verba quæ lib. 2. Post. Anal. cap. ult. leguntur. Ibi, cum Philosophus dixisset: Hic ambiget fortasse quispiatur, utrum non inest nobis jam inde ab ortu principiorum habitus, sed usu acquiratur, an vero nobiscum quidem nascatur,*



scatur, sed lateat, nec se statim exserat? Statim subjungit:  
Ac nobis quidem ingenitum esse nec intelligi absurdum est,  
alioquin fatendum erit, eum qui certius aliquid cognoscat,  
quam si per demonstrationem sciret, in summâ tamen igno-  
ratione versari.

X XII.

Quandoquidem igitur ista sic se habent, atq; adeo  
nulla principiorum notitia nobis innata est, ne tamen  
frustra sit ingens sciendi appetitus & flagrans cogno-  
scendi desiderium, quod quisque in semetipso depre-  
hendit, alia ratione natura, sive potius naturæ autor,  
DEUS Opt. Max. providit. Dedit quippe, quæ altera  
sit conclusio nostra, *Potentias sive facultates quasdam,*  
*quarum beneficio cognitionem illorum parare nobis quea-*  
*mus.* Ita enim in iis, quæ à naturâ habemus, compara-  
tum esse apparet, ut potentiæ prius adsint, quam actus  
& habitus, quorum hi crebro istorum exercitio illis de-  
mum superveniunt. Idem jamdudum observavit &  
monuit Aristoteles cum aliis locis, tum admodum lu-  
culenter lib. 2. Eth. Nicom. c. 1. his verbis usus: *Eorum*  
*quæ à naturâ nobis obveniunt, potestates prius accipimus,*  
*posterius functiones muneris obimus; quod in sensibus per-*  
*spici potest.* Neque enim ex eo, quod aut saepe adspeximus  
aut saepe audivimus, sensus adepti sumus, sed contra, cum  
sensus haberemus, eis usi sumus, non quia usi sumus, ha-  
buimus.

X XIII.

Non potest autem obscurum esse, per illas poten-  
tias sive facultates intelligi Sensum & Intellectum, quos  
inter cum plures aliæ differentiæ atque affectiones in-  
tercedunt, tum vero etiam ista, quod ratione dignitatis  
ac nobilitatis plurimum inter se distant, nec tamen mi-  
nus

nus in rerum cognitione paranda mutuo sese juvant.  
Quod vero alias in operibus suis moliendis natura ob-  
servare solet, ut ab imperfectiori ad perfectius progre-  
diatur, id si etiam in cognitione acquirenda observari  
affirmemus, nihil à veritate alienum nos dicere puta-  
mus. Hic igitur in paranda primorum principiorum  
cognitione, utpote de quâ nunc imprimis agimus, pro-  
cessus esse videtur, ut primo quidem terminorû simpli-  
cium apprehensio sensuum aliquo mediante fiat in in-  
tellectu: quo facto, interdum quidem connexio aut dis-  
junctio eorum adeo evidens est, ut intellectus insitâ  
quadam vi & naturali affectione statim eam deprehen-  
dat & pro re natâ vel assensum vel dissensum eliciat: ad  
eundem fere modum, quo sensus positus omnibus ne-  
cessariis requisitis ab objectis suis naturaliter afficiuntur.  
Sunt autem talia pronunciata: Impossibile est i-  
dem simul esse & non esse; De qualibet re vera est affir-  
matio vel negatio, Omne totum est majus suâ parte, O-  
mne bonum est appetendum; Omne malum est fugien-  
dum, atque alia istorum similia. Dicitur in scholis solent  
*Ἀξιώματα* h. e. dignitates, quod ex se dignæ sint, quibus  
assensus præbeatur, nec indigeant probatione aliunde  
accerfitâ. Sed & *κοινὰ ἔννοιαι* h. est communes notio-  
nes vocantur, forte hanc ob causam, quod omnes ho-  
mines secundum naturam dispositi de iis consentiant,  
atque ad ea similiter sint affecti.

#### XXIV.

Cæterum de insita illa vi atque naturali affectione  
intellectus *ὡς ἐν παρόδῳ* notare placet, quod idem ea vi-  
deatur esse cum eo, quod alias à nonnullis Lumen Na-  
turæ, naturale intelligendi lumen intellectui connat-  
um, item, lux mentibus divinitus insita vocatur. Ele-  
gantia

gantia sunt verba Melanchthonis, quæ leguntur in lib. de Anim. ubi quæritur, *fitne verum dictum, notitias aliquas nobiscum nasci?* & ita habent: *Ut lumen est in oculis, quo fit visio: ita in mentibus lux quædam est, quâ numeramus, agnoscimus principia artium, discernimus honesta & turpia.* Debet autem hîc caveri ne lucem illam, quod à nonnullis atq; etiam ab ipso Melanchthone fieri non dissimulamus, cum notitiis ipsis aut actuali principiorum cognitione confundamus, aut eam nihil aliud quam ipsas illas notitias, quas hætenus impugnâvimus, esse putemus. Omnino enim inter se differunt eo fere modo, quo rivus & fons, causa & effectus à se invicem distinguuntur.

XXV.

Verum ut ad institutum redeamus, licet nonnulla principia dicto modo nobis innotescant, alia tamen & illis quidem longe plura dantur, quæ itidem in propositionibus immediatis seu principiis censentur, illa vero ratione non possunt cognosci, sed ad manifestationem sui operosiorum apparatus requirunt, dum videlicet veritas eorum ac certitudo sensuum beneficio & experientia per inductionem deprehenditur, atque adeo non constat sine omni discursu & mentis agitatione. Egit hac de re Aristoteles cum alibi tum ex professo atque accurate lib. 2. Post. cap. ult. unde non possumus quin aliqua huc transcribamus: *Habent, inquit, animalia vim congenitam judicativam, quam appellant sensum. Cum autem sensus insit: in aliis animalibus res sensu percepta manet, in aliis non manet. In quibus igitur non manet: hæc aut omnino, aut eorum, quæ non manent, cognitionem non habent extra quam cum sentiunt. Alia verò cum sentiunt, unum quid in anima retinent. Cum autem multa animalia*

nimalia hujusmodi sint, jam est discrimen quoddam: adeo, ut in aliis ratio fiat ex hujusmodi rerum memoria, in aliis non fiat. Ex sensu igitur fit memoria, quemadmodum dicimus, ex memoria vero saepe ejusdem rei facta fit experientia: multa enim memoria numero sunt una experientia. At vero ex experientia, sive ex omni & universali quiescente in animâ: nimirum uno præter multa, quod in omnibus illis inest unum & idem, fit principium artis & scientiæ. Idem eodem loco eleganti simili rem illustrat à militibus in fugam versis, & deinde singulatim ad pugnam reversis, eâque ratione integram aciem restituentibus desumpto. Quemadmodum videlicet in adverso prælio cedente jam & fugam capessente exercitu nonnunquam contingere solet, ut militum unus & alter animo resumpto se colligat, iterumque consistens ad pugnam redeat: quod alii cernentes vel pudore tacti, vel eo exemplo animosiores facti imitantur, hos item porro alii, donec integer exercitus, aut saltem magna ejus pars consistat & pugnam denuo instauret: Sic etiam se res habet in universalis principii constitutione & acquisitione; dum nimirum unum & alterum singulare & deinceps plura per sensum ad animum delata in eo quasi stant, h. e. memoriæ infiguntur: quod cum per experientiam frequenter à multis singularibus fit, imprimatur & consistit tandem in animo universale quiddam. Non est autem obscurum in similitudine universale exercitui: singularia vero, per quæ universale acquiritur, militibus respondere.

XXVI.

Ex his fundamentis Idem Philosophus lib. I. Post. c. 15. deducit & colligit, eum, cui sensus aliquis ab ipso ortu desit, necessario scientiâ aliquâ carere. *Perspicu-*

D

1178



um est, inquit, cui sensus aliquis desit; necessario scientiam aliquam defuturam, quod eam discere jam ac percipere non possit. Quicquid enim discitur, aut inductione aut demonstratione cognoscitur: ac demonstratio quidem rebus universis continetur, inductio ex rebus singulis conficitur. Atque rerum universalium citra inductionem haberi cognitio non potest. Id quod vel apertissime ostendunt ea res qua cogitatione abducta, & ab iis rebus qua sub sensum cadunt separata, non possunt tamen plane ac perfecte intelligi sine inductione. Et quanquam hæ res hoc ipso, quod ad sensum traducuntur, non jam quasi abjecta separataque intelliguntur, semper tamen in iis aliqua insunt, qua non nisi hac ratione manifesta fieri possunt. Quis porro est, qui sensibus carens possit aliquid inductione perdiscere? Etenim in singularibus versatur sensus. Nam istorum assequi non poterit scientiam: ex universis enim ipsis, citra inductionem nihil percipi potest, inductio autem non nisi opera sensuum absolvitur. Vis collectionis Aristotelicæ hac ratiocinatione includi & forte magis perspicue proponi potest: Qui caret sensu, non potest singularia cognoscere: Qui non potest singularia cognoscere, non potest inductionem instituire: Qui non potest inductionem instituire, non potest universalia cognoscere: Qui non potest universalia cognoscere, non potest demonstrare: Qui non potest demonstrare, non potest scientiam sibi parare. E. qui sensu caret, non potest scientiam sibi parare.

## XXVII.

Verum ne quis incautior forte errandi occasionē hinc accipiat, notandum est, I. Dictum Aristotelis non universaliter de omni omnino scientiā, sed particulariter de aliquā tantum intelligendum esse, quæ nimirum sit  
earum

earum rerum quæ sensui illi obijciuntur, quo quis sit orbatus. 2. Sciendum, objectum sensuum esse duplex, aliud proprium, aliud commune. Proprium est id quod definite uno solum sensu percipitur, v. g. sonus solo auditu, color solo visu percipitur. Commune dicitur, quod non uno solum sensu, sed pluribus potest percipi & cognosci: cujusmodi sunt motus, quies, magnitudo, numerus, figura: ista enim & visu & auditu & tactu percipere possumus. Cum igitur Aristoteles necessariam scientiæ carentiam tribuit illi, qui sensu aliquo sit orbatus, intelligendum id est respectu objectorum propriorum, non communium. In his enim, si per unum sensum ad prima scientiæ initia non possunt adminicula suppeditari, per alterum ille defectus suppleri potest.

XXVIII.


Sed placet jam totam disputationem obsignare verbis B. Jacobi Martini lib. 1. Part. Met. sect. 7. q. 4. pag. 328. *Conclusum itaque esto, notitias nobiscum natas non dari: & nihilominus ratione principiorum naturales, sive à naturâ esse, ratione rerum divinitus revelatarum dici posse: cum omnia in tota illorum acquisitione naturalia sint, & naturali modo sese habeant. Est enim vis quædam naturalis in homine, quæ eum ad parandam principiorum cognitionem aptum reddit, nempe δύναμις ἀπλήρη, partim in sensu, partim in memoriâ, partim in ratione consistens. Hac exercitur postea, si res sensu perceptæ, seu rerum species in memoriâ resident, seu remanent, ex quibus ratio communem quandam notionem colligit per experientiam & inductionem, tandemque habitum adipiscitur, quo principia scientiarum demonstrationumque perfecte cognoscat ac contempletur. Atque inde colligitur porro, verum esse tritum illud Philosophorum Axioma: Nihil est in intellectu quod*

non

non prius fuerit in sensu. Nam licet universalia sensibus non percipiantur, id tamen regulam illam propositam non infringit. Distinguendum enim est inter Ens & modum Entis. Eadem res est in intellectu & in sensu, verum utrobique non modo eodem: sed in intellectu universaliter, in sensu particulariter. Sic quaedam mediate, quaedam immediate in sensibus sunt, & per illos ad intellectum perferuntur: per effectum enim causa, per accidentia substantia, & interna illarum principia in intellectu veniunt.

T A N T V M.

---

 Bedita dum nostræ mentis, *Doctissime* PETRI,  
Ingeniô lustras notaque multa facis:  
*Doctè* rimaris, quid *Cognoscamus*: an instar  
Quod dicunt, *nuda mens* quoque sit tabula.  
Gratulor ergo tibi, coeptis sint candida fata,  
Te multâ Numen *cognitione* beet:  
Ardentem rerum TE *cognitione* bonarum  
Adjuvet ipse DEUS, cui labor iste placet.

Eximio Domino A. & R. amico &  
commensali suo singulariter  
dilecto *exed.*

S. B.




99 A 6919

ULB Halle

3

002 631 202



Sl.

Reho. ✓

VD17



DISP  
TO





10.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
*De*  
HUMANÆ CO-  
GNITIONIS INI-  
TIIS

Q V A M  
DEO AVSPICE

PRÆSIDE  
ANDREA FRÖLINGIO  
OPT. ART. ET PHILOS. MAG. LOGI-  
CES PROFESSORE P. ORDI-  
NARIO

*Præceptore ac Fautore suo singulari cultu  
deuenerando*

*Publicæ disquisitioni subiciet*  
FRIDERICUS HENRICUS PETRI  
BRVNSVICENSIS

AUTH. & Resp.  
IN IVLEO MAIORI  
*Ad d. III. April.*



HELMESTADII,  
TYPIS JACOBI MULLERI.  
ANNO dō 10c LXVII.

